

illos. Regnat itaque cum Christo nunc primum Ecclesia in vivis & mortuis. Propterea enim, sicut dicit Apostolus Roman. xiv. 9. mortuus est Christus, ut & vivorum & mortuorum dominetur. At quoniam Johannes dixerat de Martyribus: Regnaverunt cum Jesu mille Annis; Augustinus scribit, non de instantum hæc enantiari, verum & de reliquis in Domino morientibus. Ideo, inquit, tantummodo Martyrum Animas commemoravit, quia ipsi præcipue Regnarunt mortui, qui usque ad mortem pro veritate certaverunt. Sed a parte totum, etiam ceteros mortuos intelligimus pertinentes ad Ecclesiam, quod est Regnum Christi. Atque hæc satis jam esse possunt, ut Lectori dubitatio omnis etipiat, an cum Ecclesiæ Catholicæ doctrina concors abierit immortalis ille Ecclesiæ Doctor. Pauca tamen adhuc adjicere mihi liceat. Sub finem Enarration. in Psalm. xxxviii. interpretatur Augustinus verba illa Davidis: Remitte mihi: priusquam abeam, atque inter cetera ait: Respexit ergo BEATAM illam REGIONEM, BEATAM PATRIAM, BEATAM DOMUM, UBI PARTICIPES SUNT SANCTIVITÆ SEMPERNÆ ATQUE incommutabilis VERITATIS: & timuit extra ire, ubi non est esse; ibi desiderans esse, ubi est summum esse. En quo in loco nunc sint, & quanta Beatitudine Sancti fruantur. Ac propterea intelligis, quid sibi velit idem Augustinus, quam patrem, cui mors unum e filiis surripuit, hortatur, ut eleemosynas pro illo erogat, Sermon. x. alias 96. de Temp. num. 20. ubi ita disserit: Mortuus est, sed præcessit ad Deum; pars ipsius pauperibus debetur: illi debetur, ad quem perrexit. Qua fronte venturus es ad filium tuum, qui præcessit, cui præcedenti non mittis partem suam in Cælum? An non potest mitti in Cælum? In eodem argumento iterum versatur Augustinus Sermon. lxxxvi. olim xl. de Divers. cap. x. Christianum, inquit, filium amisisti. Non ergo amisisti, sed præmisisti. Mittatur ergo illi, quo præcessit ille: ad rem suam venire non potest. Res ejus ad eum ire potest. Vide cum quo sit. Si in Palatio militaret filius tuus, & amicus Imperatoris fieret, & diceret tibi: Vende ibi partem meam & mitte mihi; numquid invenires quid responderes? Modo cum Imperatore omnium Imperatorum, & cum Rege omnium Regum, & cum Domino omnium Dominorum Est Filius tuus: mitte illi &c. Hæc doctrina Augustini est, non qualem phantasia Burneti sibi finxit, non qualem is propinare nobis cupiebat, sed qualis etiamnum ab Ecclesia Catholica custoditur. Quod si quando videatur Augustinus ad Resurrectionem referre destinata Justis a Deo præmia: statuendum est, aut illi hæc excidisse, quam Millenarii Regni opinione tenebatur, quam postea ejuravit; aut nihil aliud ipsam indicasse, nisi culmen Beatitudinis illius, qua Anima cum Corpore tunc in Regno Dei donabitur. Absolutissimam hanc Felicitatem in consummatione Sæculi Sanctis promissam, quam tamen præcessit Animæ Justæ Beatitudo, & Improborum poena in Inferorum igne, nos quoque agnoscimus. Agnovit & Augustinus, cujus sunt verba Tractat. xlix. in Jo: Evangelium: Ha-